Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

diluculi omnes gratias agant domino. ecce enim ovem perditam debet pastor bonus in humeris reportare et offerre ecclesie. Quapropter debitum est et nos vigiliam facere nocte ac postulare eius benignitatem, ut non convincat corruptor animarum etiam in hoc facto. Et alacriter populo coaggregato per omnem noctem postulaverunt deum cum bono pastore cum lacrimis clamantes pro kyrieleyson. Et mature cum omni multitudine populi accepit sanctus puerum et tenens dexteram manum eius ducebat illum in sanctam ecclesiam cum psalmis et ymnis. Et ecce diabolus cum perniciosa virtute advenit et invisibiliter apprehendens puerum conabatur rapere eum de manu sancti. Et cepit clamare puer: Sancte dei, adiuva me. Et tanta improbus instancia aggressus est ut etiam memorabilem virum compelleret trahens puerum. Conversus ergo sanctus ad diabolum dixit: Improbissime et animarum corruptor, pater tenebrarum et perdicionis, non sufficit tibi tua perdicio quam te et eos qui sub te sunt affecisti, nisi etiam et dei mei temptes plasma. Dixit autem diabolus ad eum: Preiudicas me o basili. ita ut multi ex nobis audirent voces demonum hec dicentium, clamante populo kyrieleyson. Sanctus autem dei dixit ad eum: Increpat te dominus diabole. Qui respondens ait ad eum: Basili, preiudicas me. non abii ego ad eum, sed ipse venit ad me. abnegavit christum et professus est mihi. Et ecce manuscriptam habeo, et in die iudicii ad communem omnium iudicem duco. Sanctus dei dixit: Benedictus dominus deus meus. non flectet populus iste manus de altitudine celi, donec reddas manuscriptum. Et conversus se dixit populo: Erigite manus vestras in celum clamantes cum lacrimis kyrieleyson. Et stante populo in horam multam extensas manus habentes in celum, ecce manuscripta pueri per aerem delata et ab omnibus visa venit et imposita est manibus memorabilis patris nostri et pastoris. Suscipiens autem eam gratias agens deo gavisus factus est valde, et coram omni populo dixit ad puerum: Cognoscis litteras has frater? Qui ait ad eum: Etiam sancte dei, manu mea scripta est. Et disrumpens manuscriptam sanctus basilius perduxit eum ad ecclesiam et dignum fecit sancto ministerio et communioni mysteriorum et munerum christi. Et faciens susceptionem magnam refrigeravit omnem plebem, et ducens puerum ac instruens, seu dans ei regulam decentem, reddidit eum mulieri eius, intacibili ore glorificantem et laudantem deum.

CETERUM Qui de derelictis gentilibus sunt et arrianis accusaverunt eum ad valentem imperatorem, quia omousii fide glorificans, abhominabatur et respuebat arrianorum heresim. Hiis credens vacua quadam sentencia valens, misit deduci eum antiochiam. Anastasio vero prefectore advenientem cesaream civitatem et manifesta faciente basilio precepta ei ab imperatore, dixit illi basilius: Et ego fili ante paucos dies cognovi quia imperator credens absque intellectu viris tuis calamos contrivit, volens exilium meum describere et veritatem obscurare. Insensibiles autem calami non sustinuerunt instabilem eius impetum, confringi magis eligentes, quam ministrare iniquo eius decreto. Et apprehendens antiochiam ad prefectorum ducitur iudicium. Interrogatus autem cuius rei gracia non imperatoris complectatur fidem, respondit: Non mihi fiat veritatis viam derelinquere et erraticam arrianorum malam gloriam vel salutare. Omousii enim fidem de patribus accepi. Quia autem prefectus mortem ei minitaverat, dixit basilius: Fiat mihi per veritatem emitti de vinculis corporis. hoc enim ex multo desiderabam. iam vos nolite deficere in permissione. Prefectus namque beati viri instanciam et immutabilem sentenciam notam fecit imperatori dicens: Victi sumus imperator victi sumus, altior minis est vir: inflexam et inadulatam habens prudentiam. Imperatore ergo fervente furore et cogitante quomodo morte illum attrectaret, contigit filium suum thelatum in egritudinem cadere et desperari a medicis. Mater autem eius imperatori resistens dicebat: Sic male disposuisti quia a deo est et puer moritur propter in basilium dei sacerdotem factam iniuriam. Hec audiens imperator vocavit basilium et ait ad eum: Si vera sunt dogmata tua et deus in his gaudet, filii mei egritudinem per orationem tuam elimina. Qui ait: Si credis imperator orthodoxe fidei et coadunetur dei ecclesia, vivet filius tuus. Ipso autem sic promittente, non differens sanctus basilius in presentia eius facile pueri egritudinem fecit. [illegible] autem episcopi confusionem invictorie sue non ferentes persuaserunt imperatori non cadem de sensu suo, sed religiositati eorum concurrere et ipsos puerum sanitatem recipere. Et continuo puer in manibus eorum obiit.

Ista videns prefector, post obitum valentis annunciavit imperatori valentiano virtutes viri. Ille autem admirans glorificavit dominum, dans ei multam pecuniam per ipsum prefectorem in opus egentium, et dimisit eum. Qui magnanimitatem imperatoris suscipiens, edificavit domos bene actionales in civitate et in unaquaque provincia prefecture ad refectionem egrotorum, et clausit multitudinem virorum ac mulierum seu puerorum multam curam et refectionem tribuens eis. Hec audiens imperator, oblationes multas dedit ad nutrimentum eorum cultum paternum tribuens sacerdoti christi.

NARRAVIT michi predictus beatus vir elladius qui in una dierum splendore divino illustratus sanctus pater noster et magnus sanctus basilius exiit de nostra civitate nemini quicquam dicens quo deberet pergere. Et egrediens, coram omnibus dixit nobis: Filii mei, sequimini me, ut videatis una mecum gloriam dei, et admiremini de discipulis magistrum. Postquam vero exivit de nostra civitate communis pater noster, cognovit et hoc in virtute sancti spiritus presbiteri anastasii et dixit nominetenus mulieri, sorori autem sue usu: Ego vado agricolari domina soror, tu surge et orna domum tuam, et circa horam nonam accipiens thuribulum et cereos obvia sancto basilio archiepiscopo. venit enim divertere in domum nostram peccatorum. Illa autem contremiscens in admirabili dicto, fecit quod didicit. Erat enim ipsa virgo venerabiliter conversans xl. pertransiens annos cum cohabitatore suo, et custodiens mysterium et quasi vidua ostendebatur hominibus. Obvians autem nobis cum decente venerabilitate et debitam adorationem tribuens, primo quidem benedicitur a sancto patre nostro, et postea dicit ei: Quomodo habes domina theogna? Que expavescens in vocatione nominis sui, dicit ei: Bene sancte dei. Dicit ei sanctus pater noster: Ubi est domnus anastasius presbiter frater tuus. Dicit ei: Vir meus est domine et abiit agricolari. Qui dixit: In domo tua est, noli turbari. Expavescens ergo mulier

Lege de gestis beati basilii. et de anastasio presbitero benedicto et uxore eius. et gaudebis.